

felicem; sed differentiam statuendam esse inter Jus Civile Romanum & *libros Imperatoris Justiniani*, circa quos duas quæstiones tractat: 1. etiamsi perfectissimi essent, quantum ex iis utilitatis hodie, in Gallia præsertim, sperandum sit? 2. quibus nævis laborent, & quidnam ex eorum tractatione effectum sit? Prima quæstio tractatur c. 2-10. Secunda cap. 11-18. Scil. Cap. 2. adstruit, inutile esse studium artis extra usum positæ, & legum ad statum præsentem non adtemperatarum.

Unde fluit Cap. 3. *Libros Justiniani nihil proficere ad notitiam Status Gallie*; Statum Romanum *Democraticum* hodie quoad potissima ignorari, & sæpissime fuisse mutatum, nec quicquam ad statum Gallicum *Monarchicum* applicari posse. Monarchiam quoque Romanam non modo sæpius mutatam, sed & diversæ a Gallica formæ fuisse, quod exemplo *Magistratum* demonstrat, quorum officia & reliquæ status Romani partes ex lectione græcorum & latinorū historicorum, melius uno anno & longe majoricum delectatione, quam totis sex annis ex centonibus Justiniani cognosci possint. Ita in *libris antiquitatum Romanarum*, licet a Jcto conscriptis, vix tres ex Corpore Justiniano leges citari. Esse quidem in tribus postremis Codicis libris nonnulla, quæ Con-